



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

2. Supplicium gulæ fames est.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

II. (b) Atque hæc de publica Famis rabie. Privatam, ne prolixior sim, non attingo, nisi Imperatoris Zenonis, qui cum arreptus morbo comitiali, pro mortuo concidisset, jacuissetque; tanquam cadaver elatus est, & tumulatus. In sepulchro subinde restitutus sibi, lamentabili voce Satellites ad conditorium excubantes, per duas noctes appellavit: *Miseremini & aperite mihi.* Cumque illi dicerent, alium jam imperare (nempe Anastasium) *Nihil, inquit, curo, in monasterium me adducite.* Sed cum prohibente Ariadna Imperatrice, non aperirent, ferunt aliquantò post monumentum fuisse reclusum, inventumque in eo Zenonem, qui præ fame suos ipse lacertos, & vestes, quas gestabat, manderat. *Cedrenus apud Baronium anno Christi 491.* Zonaras refert, eum gulæ & ebrietati indulgentem, errore mentis affici solitum, & prolapsum nihil à mortuo distitisse. Fecit idem Erisichton. Utrumque iustissimè punivit fames ob intemperantiam in cibo, potuque. De hoc Mythologus lib. 5. c. 14. Erisichton ubi sua per luxuriam & crapulam profuderat; postea victum per sordes domesticas, & turpitudinem filia comparare sibi cogebatur. Quare pietas in divos, in rebus agendis prudentia, & in presentibus bonis conservandis parsimonia viro bono est necessaria. Hæc ille. Prodigalitate & luxu iram Numinis provocari, documentum sunt Sodomitæ. Nam quid hos in tam immania scelera, & pares sceleribus poenas pertraxit, nisi quod sacer historicus Gen. 9. refert. *Superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium; & manum egeno & pauperi non porrigebant.* Et Amos c. 4. Optimatibus Samaritarum, nullius rei, nisi voluptatis & saginæ curam habentibus, minatur, eos veluti *vaccas pingues* ab Assyriis mactandos, & contis sublato, ferventibus ollis immergendos, ac coquendos. Sic gula plectitur fame, vel propriâ, vel alienâ.

III. (c) Ex hac etiam fabula elucet, quanta sit impietas parentum, qui suâ culpâ ad extremam penuriam redacti, denique subsidium vitæ à liberorum flagitiis petunt. Erisichton, ubi bona sua luxu dilapidaverat, demum & filiam prostituit. Illius verò ætatis homines, ante cufas pecunias, pecora aliâsque merces invicem permutabant. Illa itaque ab hoc accepta ove, bove ab illo, alia ab aliis mercede, & suâ & paternæ subvenit inedia, ut ait Tætzes, Homeri interpres in illa verba Lycophonis: *ὁ πατήρ τῆς Μύσης πάντα καὶ αὐτὴν, Φαγῶν*: pater Mestæ omnia devorans, etiam filia suâ pudicitiam. Faciunt idem multi alii parentes, non parentes, qui lascivire jubent filias suas, dum permittunt. Egregiè Petrarcha de

K k 2

filia

(b) Supplicium gula fames est. (c) Impietas parentum redundat in liberos.